

proben<sup>5</sup>t *Salem* esse tùm generis masculini, tùm in plurali eti-  
am inveniri, addo ego *Lucan. lib. X. v. 257.*

*aquoreosq; sales longo mitescere tractu.*

Pro *facetiis* verò etiam usurpavit *Tullius* (*lib. II. de N. D. §. 74.*) *Salem* istum in irridendis nobis nolite consumere. Et *Hieronymus epist. XLVII. cap. 1.* Nimium formidolosus es, ubi illa quondam constantia, in quâ multo *sale* orbem defricans *Lucilianum* quippiam retulisti. Nempe, quod in Scholiis notat *Marius Victorius*, respexit illud *Horatii* (*lib. I. sat. 10.*) de *Lucilio*, qui *sale* multo urbem defricuit, i. e. reprehendit & taxavit. Minùs itaq; rectè consuetudo introduxit, ut *salsum* pro ridiculo accipiamus, uti olim notavit *Quintilianus* (*lib. VI. Institut. cap. 4.*) *Salsum* est, quod non est *insulsum*, velut quoddam simplex orationis condimentum, quod sentitur latente iudicio & velut palatum excitat, quod & à tædio defendit orationem. Planè uti *sal* paullò liberaliùs cibus aspersus, si tamen non sit immodicus, aliquid propriæ voluptatis affert; ita in dicendo quoq; hi *sales* quiddam habebunt, quod nobis faciat sitim audiendi. Non ergo ridiculorum aut dicacium *sales* sunt, sed urbanorum atq; facetorum. Vide jam, discipule, *Ciceronem* tuum (*lib. I. Officior.*) de duplici genere jocandi, & Vos alii omnes *Ethicos*, quando *homileticas* illas *virtutes* describunt, & evolvunt.

Sequitur in Nostro (*v. 19. 20.*) *Homo per paucorum hominum* XX.  
*πῆμ*, qui non libenter est ὁμῶς sive ἐν ὁμίλῳ, ne fiat ὁμοῖος aut cogatur ὁμῶς εἰλεῖσθαι, ἀνομίλητος, vel, juxta *Philonem*, μήπω τοῖς τῶν ἐγχερίων ἐνωμιληκῶς ἤθεσι, | vel etiam, qui putant sese pinfos esse ex massâ furfurosâ, & reliquos homines esse sues, à quibus sese metuent devoratum iri. Loquutio verò eadem est in *Horatio* (*lib. I. Sat. 9. v. 44.*) de *Mæcenate*, qui & ipse esse dicitur *paucorum hominum*, i. e. *viris perspectæ integritatis uti*, Et sane